III^a pars. De morte Corradini.

Ad dicti summi pontificis venit notitiam, quod Corradinus filius Corradi parabat se ad intrandum Ytaliam, instigatus a Pisanis et parte Gibellina Tuscie. Karolus igitur, relicto marescalco suo in Tuscia, cum cetera militia ad obviandum Corradino, si contingeret eum venire in regnum, properat. // Igitur MCCLXVIII° Corradinus cum militia Theotonica, adiunctis quibusdam Lombardorum et Tuscorum, subito intrat Ytaliam et venit Veronam. Hoc audito, papa mandat ei, ut caveat ab offensa ecclesie. Quod ille contempnens, cito transit cum parva manu ad ripariam Ianuensem usque Fienale, ubi sunt domini de Careto, qui eidem affines cum amicorum auxilio et navigio deduxerunt eum usque Pisas, nec marescalcus predictus obviare potuit. Destructo itaque Lucano territorio ex parte magna, fugatisque Guelfis de Senis, Corradinus fortificari cepit. Quod audiens summus pontifex, contra ipsum quamque sequelam processum fecit. Aliqui dicunt hoc factum, quando Verone fuit. // Tunc etiam Rome erat dominus Henricus, frater regis Castelle, qui nepos erat regis Karoli in secundo gradu. Hic senatum sibi usurpaverat, faventibus aliquibus nobilibus Romanis et aliqua parte populi, et multa mala intulit Rome, et ecclesias inibi distrahens, deposita eripiens. // Advenienti igitur Corradino confederatur, et grandi collecto exercitu, XVIII die Augusti de Urbe egredientes, contra regem Karolum properant; provincie civitates et castra rebellare iam incipiunt. Quo comperto, Karolus Corradino obviam venit, nec interiora regni intrare patitur. Conveniunt igitur acies in campo Palatino, diu et dire pugnatur utrinque, tandem prevaluit acies Corradini. Inventisque armis Karoli, omnia peracta putant et, securitate concepta, ad spolia se convertunt. // Tunc subito rex Karolus cum sua acie de occulto in publicum veniens in die beati Bartholomei dispersum invadunt exercitum, confundit celeriter, et partim cedendo partim fugando annullat. Omnes nobiles de parte Corradini rex decapitari iubet, Henrico nepote retento atque in quodam Apulie castro recluso. Corradinum autem et ducem Austrie, Gerardum quoque comitem de Pisis de consilio sapientum, nonnullis tamen

~~Jesi~~ a serig add. sed del.

a) Inventisque

Jatt add. sed del.